nis punctum ſi cum C conjunxeris habebis lineam CB, quam quæſiviſti, ad AB lineam perpendicularem.

Ceterùm omnis vis horum Problematum in eo conſiſtit, ut, cum ad ductum lineæ rectæ ad minimum requirantur duo puncta, per quæ illa duci poſſit, dato eorum uno intra vel extra lineam, alterum habeatur. Unde manifeſtum fit & evidens, cum in omnibus recenſitorum Problematum caſibus neceſſariò aut detur punctum alterutrum aut certè à nemine non merito poſtuletur, omnem curam reliquam impendendam eſſe ad inventionem reliqui: ſive id fiat per modos jam enumeratos, ſive per quoscunq; alios.

Concurſus Rectarum ad coincidentiam vel interſectionem fortuitus, eſt quando linea cum lineâ quomodocunq; (modo non perpendiculariter) aut coincidit, aut eandem traijcit.

Ejuſmodi fortuito concurſu coincidunt lineæ FA & KA, DC & HC, KA & AC, HC & AB: interſecant ſe etiam mutuò HI & AB, item lineæ DE & HI infernè continuatæ.



CAP. III.

De

LINEARUM RECTARUM

Parallelismo.

Paral-